34-6-F-15

DE
B. CATHARINA
DE RICCIIS
MONIALI TERTII ORDINIS S. DOMINICI
ORATIO

Habita Romæ in Templo S. Mariæ ſuper Minervam.

Ad Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos Dominos

S.R.E. CARDINALES

A

F. JOSEPHO AUGUSTINO ORSI

ORDINIS PRÆDICATORUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ MDCCXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA HIERONYMI MAINARDI

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO

CElebris quidam Orator, idemque Romanæ Reipublicæ Conſul *Optimo*, ut dicebatur, Principi Senatus nomine gratias acturus, ejuſque laudes publica Oratione celebraturus, non aliunde ſibi dicendi initium, quam a precationibus, ac ſummi Numinis invocatione capiendum exiſtimavit (*a*). Quum enim nullum animo concipere poſſet præſtabilius aut pulchrius Dei munus, quam caſtum, ut ajebat, & ſanctum, Deoque ſimillimum Principem; nullum auguſtiorem cœtum, quam Senatum; nullam graviorem dignitatem, quam Conſulis; divino quodam adflatu ſibi opus eſſe judicavit, ut digna Conſule, digna Senatu, digna Principe loqueretur. Optimum hoc, ut ille tradit, Majorum inſtitutum, ſapientiſſimumque conſilium, eo mihi religioſius amplectendum eſt, quo caſtiſſimæ ſanctiſſimæque Virginis laudes coram ampliſſimo Cœtu Veſtro ſolemni Oratione proſequuturo, & ſanctius

(a) *Plin. Panegyric. ad Trajan. in princ.*

Digitized by Google

ac ſublimius argumentum obtigiſſe intelligo; & magis mihi verendum ſuſpiciendumque Conſpectum Veſtrum, quam olim Conſuli Patrum, ut dicebantur, Conſcriptorum auctoritas, graviſſimumque judicium. Quis enim abſque Numine, quis niſi divino Spiritu adflante, aut mente complecti, aut eloqui, & enarrare valeat, quæ Deus in Beatam hanc Virginem, quam nuper Summus Sacrorum Antiſtes aris admovit, contulit aut cœleſtium chariſmatum munera, aut ornamenta virtutum, in argumentum Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis ſuæ? Quo magis itaque aptum piumque eſt, Te, Deus Optime Maxime, totius ſanctitatis formam, & puritatis fontem atque innocentiæ precari, ut digna gradu meo, digna Apoſtolico Senatu, digna Virgine, quam Tibi ſimillimam effinxiſti, mihi contingat oratio. His enim tribus, Auditores, Orationi meæ opus eſſe intelligo, ne dicam, ut in publicum erumpere geſtiat, ſed ne omnino in apertam prodire lucem vereatur. Veritatem imprimis exigit, ne dum falſa, vel dubia, vel etiam minus certa avidius conſectatur, ipſam rerum geſtarum fidem in diſcrimen adducat: majeſtatem vero, ne divinorum operum ſublimitas, & magnitudo humili & abjecto, atque humi repente dicendi genere deteratur: denique utilitatem, ne vobis languida frigidaque virtutum ejus enarratione ſomnum adferat atque faſtidium; ſed, quod potiſſimum in ejuſmodi argumentis ſpectandum eſt, calcaria vobis ad earumdem virtutum imitationem addat, & ignes faceſque ſubjiciat. Beata Catharina virtutibus, & chariſmatis adeò excelluit, ut hæc prorſus humana opinione majora eſſe videantur: faciam itaque Oratione mea, ut facile intelligatis, quam conſonum divinæ largitati fuerit, Virginem cœleſtibus moribus præditam, donis etiam cœleſtibus cumulare: & contra, quam proclive creditu ſit, Virginem donis

cœ-

Digitized by Google

cœleſtibus cumulatam ; moribus etiam cœleſtibus coruſcaſſe: denique, quam in rem noſtram, & Eccleſiæ fuerit, Virginem moribus cœleſtibus claram, & cœleſtibus donis inſignem, eo etiam cultu donari, quem Romani Pontifices iis decernere conſueverunt, qui cœleſtem quamdam vitæ rationem, dum terram incolerent, inſtituerunt. Ita Orationi meæ & veritas, & majeſtas, & utilitas conſtabit. Veritas, quam hac ipſa Oratione vindicandam, & novo lumine donandam ſuſcipio; majeſtas pro argumenti amplitudine; utilitas denique, quæ ab ejuſmodi argumenti tractatione ulla nequit ratione disjungi.

Qui mortali adhuc corpore prægravati, & nube carnis obvoluti, & in exſilio poſiti cœleſtis Patriæ delicias, & Beatorum Spirituum felicitatem aliquando, præcipuo quodam Dei munere, delibarunt, hoc plurimum dolore adfecti ſunt, & hic ferme fuit communis eorum gemitus, quod raptim illis, & inſtar fulgúris divina lux adfulgeret; & inſtar tenuiſſimi roris, quod aura levi aut calore exſiccatur, ſe ſe illis gratia cœleſtis infunderet. Vix ſe eorum adſpectibus Cœlum aperiebat, vix ſe inſueto circumfuſa lumine Dei pulchritudo oſtendebat; quum ſtatim fidei tenebris eorum mens nativaque caligine obvolvebatur. At in Virginem noſtram, dum vitam adhuc mortalem ageret, profuſior longe fuit divinæ largitatis munificentia. Fluminis impetus, qui Dei Civitatem inundans lætam & hilarem facit, ab ipſa pœne infantia, non ſe illi per rivulos, ſed pleno gurgite infudit; nec deſultorio lumine, ſed nunquam fere deficientibus radiis ſol juſtitiæ illius mentem, ſenſus, & animum illuſtravit. Rerum ſupernarum viſiones, ac divinorum ſacramentorum revelationes; (animo ipſius nunc mirabili Sancti Spiritus vi, nunc ineffabili ſuavitate ab omni cum ſenſibus commercio eorumque uſu disjuncto,) quo-

quotidianæ huic Virgini ac familiares fuerunt. Modo Chriſti Domini jucundiſſimo adſpectu recreari; modo cum Deipara Virgine dulcia miſcere colloquia; modo ex Angelorum conſortio, aliorumque Beatorum Spirituum præſentia cœleſtibus fulgoribus irradiari. Quæ Chriſtus vix in alias, etiam ſanctiſſimas Virgines, tribuit, ſingula in ſingulas, dilectionis ſuæ cariſſima pignora, & eximiæ caritatis dulciſſima monumenta, in hanc unam congeſſit; quam variis ejuſmodi, ſacriſque ſignaculis inſignivit, ſibique totam adſeruit, & nomini & amori ſuo vindicavit. Quum eam ſibi fidei & caritatis vinculis conſociaſſet; viſibili quoque ac ſplendidiſſimo anulo, pronuba Virgine, Cœlitibuſque plaudentibus, deſponſavit. Quum Spineam Chriſti coronam, ejuſque Crucem, vulnera, & ſanguinem intimis Catharinæ ſenſibus, adfectui, menti, cogitationi divinus amor indidiſſet, eorumdem quoque vulnerum ſtigmata, ejuſdem ſacri diadematis ſpeciem, cruciſque formam, capiti, pedibus, manibus, lateri, humeroque ipſius inſculpſit, & vivis, ac ſanguineis, fulgentibuſque coloribus in ejus carne delineavit. Quum veteri exuto, ſpiritu novum hominem induiſſet, & moribus atque earumdem virtutum exercitatione Chriſtum referret, exteriori quoque ſpecie in eamdem imaginem transformari aliquandó meruit, fœmineaque forma depoſita, Chriſti vultum, ora, lineamenta repræſentare. Quum ex maximo ſuaviſſimoque uſu, qui Catharinæ cum Deo ac Cœlitibus intercedebat, pectus illi divinis ardoribus candeſceret, atque æſtuaret, & mens cœleſtibus ardoribus refulgeret; exterior quoque illius ſpecies cœleſti identidem lumine coruſcavit; ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis, & interioris habitus lucidiſſimum ſpeculum, & imago numeris omnibus abſoluta.

Con-

Conſpicua hæc fuere & obvia, & ad ſpectandum propoſita, non fœminis modo & eaſdem incolentibus ſacras ædes Virginibus; ſed Viris quoque, & ſapientia, & morum gravitate, & generis nobilitate, & munerum quæ geſſerunt amplitudine, celeberrimis; Principibus, ac Principum Oratoribus, Theologis, Epiſcopis, nec non quibuſdam ex ampliſſimo Ordine Veſtro, e quibus tres ad Summi Pontificatus faſtigium provecti ſunt. Irrident hæc tamen, ac veluti ſomnia, et emotæ mentis deliramenta contemnunt homines improbi ac temerarii, quibus ſola terrena ſapiunt, & rebus ſenſibilibus corporeiſque bonis profani glutino amoris miſere implicati, ad res ſpirituales guſtandas, cogitandas, & percipiendas, Apoſtoli teſtimonio, impares omnino ſunt: ſcilicet *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei* (a). Qui certe ſi coram adeſſent, hac eos oratione compellarem: Quam, rogo vos, qui tumidi atque elato ſupercilio hæc deſpicitis; quam, inquam, rationem adſertis, cur deſpicienda eſſe arbitremini? An Dei menſi eſtis omnipotentiam, ideoque non temere fieri poſſe inficiamini, ut animum mortalis adhuc corporis aggere circumſeptum ad cœleſtia divinus Spiritus rapiat? An Dei Filio, atque effuſiſſima ipſius in homines caritate indignum ducitis, Virginem ſibi mente, & adfectu, & ſpiritu conjunctiſſimam, & in ejus ſecundum interiorem hominem imaginem transformatam, exteriori quoque ſpecie ſibi conformare, & vulnerum ſuorum ſimilitudinem Virgineis ipſius membris inſcribere? An Dei bonitatem & ſapientiam, vobis judicibus, dedecet, Virginem moribus cœleſtibus inſignem, donis etiam & chariſmatis cœleſtibus cumulare?

(a) 1. ad Corinth. 11.

Digitized by Google

Verum temerarias ejuſmodi cogitationes refellunt publica, genuina, rataque Eccleſiæ monumenta, quibus perſpectum habemus atque exploratum, quam Deus magnificus ſemper & liberalis fuerit, in ejuſmodi cum viris tum Fœminis omni virtutum genere excultis, divinis etiam muneribus decorandis. Conſulite ſincera & ſelecta Martyrum Acta: legite Cypriani ſanctiſſimi Martyris doctiſſimique Patris graviſſimas Epiſtolas: percurrite, ut cetera omittam, Euſebii Cæſarienſis Eccleſiaſticam Hiſtoriam, & Theodoriti Cyrenſis Epiſcopi Hiſtoriam Religioſam: quanta, Deus immortalis! quod adtinet ad vetuſtiora ſæcula, hujuſce rei ſe vobis offerent argumenta! Quid ergo mirum, ſi Virginem, quæ veteres retulit mores, & primaevæ innocentiæ ac ſanctitatis exempla reſtituit; Dei bonitas & ſapientia iiſdem aut ſimilibus donis ac muneribus inſignivit? Quam nobis, Auditores, ejus vitæ Scriptores exhibent ab ipſis fere incunabulis Angelicis viſionibus ac divinis revelationibus adſuetam; quibus etiam virtutibus inclaruerit, iiſdem Auctoribus memoriæ proditum eſt.

Nobili prognata germine, & familia opibus ac vitæ commodis adfluente; adeò divina fide vel in ipſo ætatis flore enituit, ut parem iis omnibus conculcandis animum geſſerit: &, quod Apoſtolo de Moſe obſervatum eſt, *(a) Fide* & illa carnalis Patris, ſancto ipſius propoſito repugnantis, *negavit* quodammodo *ſe eſſe filiam; magis eligens adfligi cum populo Dei*, & in Dei familia, quam in Paterna domo temporalium bonorum *habere jucunditatem; majores divitias æſtimans* quolibet Mundi *theſauro* paupertatem, & *improperium Chriſti*. *Fide*, *& illa reliquit Ægyptum* nequaquam *verita animoſitatem* Patris: *inviſibilem enim* Deum *tamquam videns ſuſtinuit*. Abdicato ita-

(a) *Ad Hebr. cap. XI.*

itaque ſæculi faſtu, & cujuſlibet carnalis neceſſitudinis, & profani amoris illecebris ac vinculis expedita; quæ tanta dicendi vis aut copia, quæ pro dignitate enarrare poſſit, quo deinceps ardore ſpei ad cœleſtia bona adſpiraverit; quo divinæ caritatis æſtu illius pectus exarſerit; quam alacri animo Religioſæ inſtitutionis crucem amplexa ſit, ut in ea Chriſto configi; mori autem & mundo, & ſibi, & humanis quibuſque adfectibus poſſet? Virgineæ integritatis florem ſumma ſollicitudine excolere, & ab omni terrenæ labis adflatu intactum inlibatumque tueri: mollem ac teneram Virginei corporis habitudinem inuſitatis jejuniis, ſomni brevitate, aſſiduis vigiliis, aliiſque adflictationibus macerare: ſumma animi demiſſione ſe ſe omnibus ſubiicere, & omnis immunditiæ vaſculum, & grave atque inutile terræ pondus exiſtimare, atque ex animo prædicare: Majoribus ſuis morigeram eſſe in rebus omnibus, ad eorum arbitrium animum flectere, eiſque ad nutum obtemperare: graviſſimas ac diuturnas ægritudines; parum æquas aliorum de ſe ac ſuo ſpiritu ſuſpiciones, nec non quorumdam temeraria judicia; moleſtiſſimas demum quæſtiones tranquilla mente ſubire, & intacta patientia ferre: Caritate, manſuetudine, benignitate, miſericordia omnes complecti, omnibus ipſius ope indigentibus adeſſe, impiorum perditionem uberrimis deflere lacrymis, ſeque pro illorum ſalute ad quoslibet vel acerbiſſimos cruciatus ſubeundos offerre: hæc, Auditores, quotidiana ipſius vitæ ratio, ad hanc exacta formam Beatæ hujuſce Virginis converſatio.

Illius autem in Deum pietatem, religionem, & caritatem, ille tantum penitus novit, cujus eſt abditos cordis ſinus & humani pectoris intima penetrare. Evangelicum, & Apoſtolicum monitum; (a) *Oportet ſemper orare, & non*

(a) *Luc.* XVIII. 1.

Digitized by Google

non deficere: Et, *(a) Sine intermiſſione orate*; nemo unquam Catharinâ aut majori ſollicitudine, aut religioſius implevit: nulla unquam vel ex iis actionibus, quæ in actu exteriori verſantur, & ſenſuum miniſterio peraguntur, aut etiam intentam mentem requirunt; quæque adeo ſuapte vi animum in diverſa rapiunt; aſſiduam ejus orationem interpolavit: quo vero pietatis ac religionis ſenſu in ea verſaretur, erumpentes ex intimo pectore gemitus, ubertim fluentes ex oculis lacrymæ, & vel ipſa demum exterioris habitus Angelica quædam ſpecies, & cæleſti quodam igne refulgens totius corporis forma, luculentiſſime teſtabantur. Quidquid oculis uſurparet, quidquid auribus inſonaret, quidquid ad mentem occurreret, Deum animo ac memoriæ ingerebat, Deum cordi & adfectibus infigebat. Lectionem librorum ad pietatem pertinentium; verba, quæ Chriſtum reſonarent, vel ejus in humanum Genus beneficia commemorarent; nec raptim, nec aliud agens, excipere poterat, quin illico ſenſibus deſtitueretur, totaque mente in harumce rerum profundiſſima contemplatione defigeretur. Quum in Sacramento Altaris Chriſti Corpore reficiebatur & ſanguine, adeo illi præcordia divini amoris incendio conflagrabant, ut ejus vim efferentem ſe, ac foras emicantem, & qui aderant, ſentirent, & vehementer admirarentur. Cui namque adeo durum ac frigidum cor, ut dum Te, o Seraphica Virgo, ignita verba fundentem audiret, non aliquo fidei calore corriperetur? Quis tum vero animi tui de ſacris myſteriis ſenſus, quum velut erumpentem flammam cohibere non valens, hæc palam & ardentibus vocibus pronunciabas: *Fieri non poteſt, o bone Jeſu, ut ſine amore vivam, quin fervidos amoris actus eliciam: totum mihi pectus caritate inardeſcit; cor mihi totum in cœle-*

(a) 1. *Theſſ. cap.* v. 17.

cœleſtem flammam converſum eſt: factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque in oſſibus meis, & defeci, ferre non ſuſtinens: quod te adeo diligam, tuum donum eſt, quod in immerentem, ac prorſus tanto munere indignam contuliſti.

Quum itaque his Catharina, vel a prima ætate, ſe ſe virtutibus exercuerit: quum Angelicam, mortali adhuc in corpore degens, vitæ rationem tenuerit; neque mirandum eſt, quod eam adeo divinum Verbum & miraculorum gratia, & Prophetico lumine, & cœleſtibus viſionibus decoraverit; neque ambigendum, an quibus & corpore & animo illuſtrata eſt, & inſueta lumina, & inuſitati ſplendores, in ejus ſinum ex cœli munere effluxerint; ac demum pro certo habendum, divinum Spiritum cauſſam illi, uberemque fontem exſtitiſſe cœleſtium revelationum. Unde enim ii effulſiſſent igniculi, quibus ad ſæculi contemtum, ad voluntarii martyrii tolerantiam, & ad æternorum bonorum cupiditatem, inflammata eſt? Unde ea ſemina profluxiſſent, ex quibus fidei, ſpei, caritatis, patientiæ, religionis, modeſtiæ ſeges ampliſſima germinavit? Ad vera enim, genuinaque chariſmata ab adulterinis, & falſis diſcernenda, haud obſcurum hinc promicat argumentum: nimirum a ſegete & fructibus inſtituti ſumus ſemen arboremque cognoſcere.

Nihil tamen, mea quidem opinione, luculentius oſtendit, hæc, quæ in illa miramur, Catharinæ divinitus accidiſſe, quam magnanimus in iis eiiciendis Beatæ Virginis animus. Quum enim in unaquaque hebdomada à quintæ diei hora decima octava ad uſque ſequentis diei horam vigeſimam ſecundam, eximio quodam ac ſingulari cœli munere, ad Chriſti myſteria tum corde penitius concipienda, tum variis corporis motibus repræſentenda, a

ſen-

ſenſibus avocaretur; ad hoc vero pietatis ſpectaculum undique multi confluerent, qui moleſtiæ ceteris Sororibus erant; ut tam ſingulari dono careret, poſt integrum tandem annorum duodecim intervallum, plurimis a Deo precibus impetravit. Quo certe præclaro facinore palam oſtendit, unum ſibi Deum, unam cordi fuiſſe virtutem, & illud Regii Pſaltis jure ſibi optimo uſurpandum: *(a) Quid enim mihi eſt in cœlo? & a te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Quis ergo abnuat, ex Deo fuiſſe ea munera, quibus ad virtutem colendam, quibus unice ad Deum quærendum excitabatur.

Neque eſt, quod quiſquam judicet, fœmineum pectus minus ad hæc ferenda virtutum germina idoneum. Non hîc nobis naturæ vires penſandæ ſunt; ſed præ oculis habenda divinæ gratiæ, & caritatis virtus immenſa, & inhabitantis etiam in infirmo ſexu Verbi, quod cuncta ex nihilo eduxit, omnipotentia. Chriſtianæ virtutes, Auguſtino auctore, ex una ferme caritate proficiſcuntur, imo ex varia quodammodo ipſius divini amoris cum variis animi adfectibus commixtione formantur: *Quare definire*, inquit *(b)*, illas *etiam ſic licet, ut temperantiam dicamus eſſe, amorem Deo ſe ſe integrum incorruptumque ſervantem: fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem: juſtitiam, amorem Deo tantum ſervientem, & ob hoc bene imperantem ceteris, quæ homini ſubjecta ſunt: prudentiam, amorem bene diſcernentem ea, quibus adjuvetur in Deum ab iis, quibus impediri poteſt*. Hae porro quatuor virtutum ſpecies ceterarum choros ducunt, & cum iis omnibus intimè conjunctæ ſunt, quarum in re-

(a) *Pſalm.* LXXII. 24. 25.
(b) *Lib. de Morib. Eccl. Cathol. cap.* XV.

Digitized by Google

regendis moribus actus & officia verſantur . Quum igitur ſummo Bono totis viribus, tota mente, toto ſpiritu inhæſerit; nihil profecto mirum, quod ex ejuſdem ſummi Boni complexu omnibus Catharina impleta fuerit ac fœcundata virtutibus: is vero eam dubitet unius ſummi Boni dilectione flagraſſe, qui fieri poſſe exiſtimet, ut animus diu noctuque cum Deo verſetur, nihil præter Deum cogitet, ejuſque bonitatis dulcedine inebrietur; neque ad Deum tamen toto dilectionis impetu properet, neque illi arctiſſimo amicitiæ vinculo conſocietur. Quæ quum ita ſe habeant, tam proni eſſe debemus ad credendum, Beatam hanc Virginem divinis ac cœleſtibus moribus refulſiſſe, quam eam cœleſtibus a Deo fuiſſe chariſmatis exornatam; quorum primum ex altero ſequitur, & viciſſim ad illud uberius percipiendum animum parat; decuit enim divinam bonitatem, Virginem cœleſtibus moribus coruſcantem, donis etiam cœleſtibus decorare; & contra fieri non potuit, quin Virgo donis inſignita cœleſtibus, moribus etiam cœleſtibus refulgeret.

Hinc vero illud etiam ſponte fluere videtur; Virgini cum moribus, tum divinis chariſmatis adeò inſigni, a Beatiſſimo Patre CLEMENTE XII. eum ſapientiſſime decretum fuiſſe cultum, quo Romani Pontifices ejuſmodi donare Virgines conſueverunt. Quum Robertus Puccius, Epiſcopus Piſtorienſis, generis nobilitate, morum gravitate, prudentia, & Romana Purpura inſignis, juſſu Pauli III., Catharinæ ſpiritum, ejuſque vivendi rationem, viſiones, ecſtaſes, revelationes ad Myſticæ Theologiæ regulas exegiſſet, in eam adductus eſt opinionem; Deum ea tempeſtate, qua Eccleſiam Romanam nullo non maledictorum genere impudentiſſimi homines lacerabant, ideo Beatam hanc Virginem ſuſcitaſſe, ut ad refellendas Hæreticorum calumnias,

evi-

evidens, atque ipſis prorſus oculis patens, argumentum eſſet: atque in eamdem ſententiam laudato ſummo Pontifici reſcripſit. Hinc vero facile adducor, ut credam, & vos etiam in eamdem opinionem conceſſuros exiſtimo; ideo his maxime temporibus divino Numine decretum eſſe, ut Catharina ſacris Altaribus admoveretur, quod nunquam, ut ſcitis, majori audacia, inreligioſi homines inſolita cœli munera, & præter, ac ſupra naturam Sancti Spiritus in humanis mentibus opera, quibus illa plurimum inluſtrata eſt, contemtui ac ludibrio habuerint, & ludos de illis fecerint. Quod enim ad eorum inſaniam arguendam luculentius argumentum, quam Noſtræ Virginis vita, quam Deo placuit, non ſolum innumeris ejuſmodi donis augere; ſed clariſſimis etiam indiciis ac teſtimoniis oſtendere; haud aliam iis effectibus; quibus illa quotidie præter ſolitum naturæ curſum adficiebatur, quam ejus omnipotentiam ſummamque Bonitatem, cauſſam & originem adſignandam?

Eſto itaque, o Beata Virgo, novum in Eccleſia divinæ gratiæ tropæum ac monumentum, Spineæ Chriſti Coronæ, ejuſque vulnerum præclara ſimilitudine ornatum: eſto fidei noſtræ ipſis quodammodo ſubjectum oculis documentum: eſto denique nobis ad ſpem, & caritatem, ceteraſque virtutes excolendas incitamento; ut dum Chriſti Crucifixi imaginem, non mortuis coloribus deformatam in lapidibus, ſed Spiritu Dei vivi in corporis tui carnalibus tabulis delineatam videmus; eam in nobis earumdem virtutum imitatione, ac morum ſimilitudine referre atque exprimere ſtudeamus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE